DISSERTATIONEM
DE EO
QVOD IVSTVM EST
CIRCA
COMMENDATIONEM

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM
ANGARIÆ WESTPHALIÆQVE ET RELIQVA

PERMISSV ILLVSTRIS ICC. ORDINIS

SVB PRÆSIDIO

DN. CASPARIS ACHATII BECKII

IVRIVM DOCTORIS ET IN CVRIA PROVINCIALI SAXONICA
ADVOCATI ORDINARII

PRÆCEPTORIS SVI MVLTIS NOMINIBVS COLENDI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN ACADEMIA SALANA

PVBLICÆ COMMILITONVM DISQVISITIONI SVBIICIT

ANTON. CHRISTIAN. LÜBBE, LL. C.

CELLENSIS.

D. NOVEMBR. M DCC XVI.

IENAE

LITTERIS WERTHERIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO,

ANDREÆ GOTTLIEB
DE
BERNSTORFF,

S. REGIÆ MAIESTATIS BRITANNICÆ
AC SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE
ELECTORIS
BRVNSVICO-LVNEBVRGENSIS,
PRIMARIO STATVS ADMINISTRO,
ET CONSILIARIO INTIMO,
RELIQVA,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

VITAM ET FELICITATEM!

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME, EXCELLENTISSIMEQVE DOMINE,

DOMINE GRATIOSISSIME.

VIcerunt tandem vota Hannoueranæ nationis. Et quidquid illa TVÆ, ILLVSTRISSIME DOMINE, ſalutis cauſſa Supremum Numen comprecata eſt, abunde tenet. Ex Anglia enim, ante hos aliquot menſes, cum AVGVSTO rediiſti feliciter. Hinc iuſto gaudio completa eſt patria: quæve fulgentiſſimi ſui Sideris diſceſſu deſerta veluti ac plena fuit triſtitiæ, nunc, ad almos reſtituti Luminis radios, nouos recuperat ſpiritus, exultansque lætitia ſe erigit. Excelſum dignitatis gradum

quem

Digitized by Google

quem obtines, DOMINE, ſola virtute TVA promeritus es, atque ingente vi animi, roborata iis artibus, quæ ad ſuſtinendam tantam perſonam deſiderantur; ſapientia nimirum, præſentia conſilii, moderatione, probitate, fide, iuſtitia. Atque hæc diuina munera non ſolum in Magni Principis ſalutem dignitatemque, ſed & in populorum Ei parentium commoda, vberrime diſpenſas. His ſeruandis & promouendis dies noctesque inuigilas; tanquam in ſpecula poſitus circumſpiciens, ne quid in magna reipublicæ naui vacillet aut inclinetur. Hinc vero viciſſim omnium, quibus obſequii gloria relicta eſt, oculi in TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, tanquam cynoſuram ſuam, conuerſi ſunt. Omnes intelligunt, maximum ſibi fortunarum præſidium in prudentia, æquitate, & vigilantia TVA poſitum eſſe. Quin & doctorum TE natio vbique gentium ſuſpicit, qui ingenia & optimarum artium ſtudia foues inprimis, ac iis deditos homines benignitate TVA egregie ſubleuas. Adeoque non ciuilis ſolum, ſed litterariæ quoque reipublicæ magnum exiſtis Tutamen, exoptatiſſimumque Præſidium. Quæ cum ita ſint, veniam dabis, ILLVSTRISSIME DOMINE, tenuitati meæ, quod tantorum, quibus patriam bonosque omnes TIBI obſtringis, beneficiorum quadam veluti particula ego quoque beari cupiam; eaque propter gratiam TVAM per

 haſce

haſce ſtudiorum Academicorum primitias ſubmiſſe implorare ſuſtineam. Accipe igitur benigna manu ſerenaque fronte chartaceum hoc munuſculum, leuidenſe quidem illud, ac omni, quo ſe commendare poſſit, nitore deſtitutum; ſed ingenuum tamen deuotiſſimæ TIBI mentis pignus. Patere in illorum me numero locum inuenire, qui de clientum TVORVM titulo gloriari poſſint. Non deſiſtam ſerias ardentiſſimasque ad Deum fundere preces, vt TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, Prouinciarum Brunſuico-Luneburgenſium Columen ac Solatium; TE verorum Status Miniſtrorum Decus ac Ornamentum; TVAM denique Familiam Splendidiſſimam, nexosque eidem connubii fœdere PERILLVSTRES ac GENEROSISSIMOS DOMINOS, DN. à WERPVP, DN. à LENTEN, & DN. à STEINBERG, Æmulos magnæ virtutis TVÆ feliciſſimos, omni modo tueatur, ſoſpitet, fortunet.

ILLVSTRISSIMÆ TVÆ EXCELLENTIÆ

cultor ac cliens deuotiſſimus

ANTON. CHRISTIAN. LVBBE.

CAPVT I.

DE NATVRA AC DEFINITIONE COMMENDATIONIS.

§. I.

Officiorum inter homines neceſſitas, ac definitio.

N*ulla*, inquit Cicero, Lib. I. de officiis, *vita pars, neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt: in eoque colendo ſita eſt vita honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.* Officium autem, vel ab efficiendo ita dictum, vel ab officiendo, eſt id, quod vnusquisque efficere debet, vt nemini officiat; ſeu, quod vnicuique mortalium incumbit agendum.

§. II.

Tres dantur officiorum claſſes.

Sunt autem tria potiſſimum, quæ hominem ex dictamine naturalis legis oportet agere. Primum eſt, *vt Deum agno-*

Digitized by Google

agnoſcere diſcat; agnitum vero ſupra omnia ſincere atque toto ex corde diligat colatque. Secundum, *vt ſe ipſum conſeruet, naturæque adeo ſuæ conuenienter viuat:* quod quidem ſe conſeruandi officium ita comparatum eſt, vt non ad corpus ſolum, verum ad animam quoque, & cum maxime quidem, referatur. Tertium eſt, *vt ſocialitatem colat.* Huius autem exercitium potiſſimum in eo conſiſtit, vt nemini malum poſitiuum inferat; æqualitatem generis humani obſeruet; bonum poſitiuum in alios conferat; ac imminens malum ab illis auerruncet.

§. III.

Officiorum alia ſunt abſoluta, alia hypothetica.

Præter officia illa generalia & abſoluta, quæ omnibus hominibus mandata eſſe intelliguntur, dantur quoque ſpecialia, ex certo videlicet ſtatu aduentitio, vel inſtituto humano reſultantia, quæ proinde hypothetica vocari poſſunt. Status autem hominum aduentitii eorumque inſtituta cum multiplicis generis ſint, facile apparet, multiplicia quoque eſſe hominum officia ſpecialia. In numerum vero præcipuarum diuiſionum referri haud dubie meretur hæc, quod alia officia *plena & perfectæ,* alia ſaltem *minus plenæ ac imperfectæ* ſint obligationis.

§. IV.

Officia ſunt vel perfectæ vel imperfectæ obligationis.

Prioris generis officia ſunt, quæ non ſolum ex interna quadam obligatione profluunt, atque ab honeſtate ſua maxime commendantur; ſed præterea quoque ab ipſis iuſtitiæ legumque regulis determinantur: in tantum quidem, vt ſaluis his illa nullo modo poſſint omitti. Vnde conſequitur, perfectæ obligationis officia ſic eſſe comparata, vt ad præſtanda ea homines in ſtatu naturali viuentes cogi poſſint ab his, quibus talia

lia debentur. Qui vero in ſtatu ciuili degunt, vbi, proſcripta vindicta priuata, propoſitis in foro actionibus ius quisque ſuum tenetur perſequi, coactioni magiſtratus hac parte ſubiecti ſunt. Iſto vero loco habentur, quæ de nemine lædendo, de damno dato reſarciendo, de naturali æqualitate cuſtodienda, de pactis & contractibus ſeruandis, & ſimilibus vitæ ſocialis firmamentis, ciuili & naturali ratione præcipiuntur. Minus plenæ obligationis officia dicuntur, quæ ex ſupra memorato principio de commodis aliorum promouendis profluunt. Ad hæc itaque exhibenda regulariter externa vi & coactione nemo poteſt adſtringi; tum quod ſalua vtcunque eſſe valet ſocietas humani generis, tametſi illa ex merito non præſtentur; tum quod natura etiam eiusmodi officiorum violentam exactionem reſpuit. Conferatur illuſtr. D. Thomaſius *in Iurispr. diuin. L. 2, c. 6,* §. *23, 24, 25.*

§. V.

Iſthæc imperfectæ obligationis officia, quæ etiam humanitatis, ſeu charitatis & amicitiæ eſſe dicuntur, exhibentur vel *indefinite*, & ſine reſpectu ad certos homines, vel *definite*, certis hominibus vtilitatem procurando. Vtrumque hoc vel ita fieri poteſt, vt nihil nobis decedat; vel vt ſumtum & laborem noſtrum tale negotium requirat. Illud vulgaris humanitatis ſiue *innoxiæ vtilitatis* officium, hoc *beneficium*, vocari ſolet. Diuiſio humanitatis officiorum.

§. VI.

Poſterioris generis officium eſt, ſi quis pecunia aliisque rebus neceſſariis egeſtatem alterius ſubleuet; ſi gratis alterius negotia gerenda ſuſcipiat, prout hinc aliqui contractus id velut proprium habent, vt *benefici* audire ſoleant. Vulgaria Sunt vel beneficia, vel innoxiæ vtilitatis officia.

autem humanitatis officia ſine ſumtibus aut impendio noſtro exhibentur, vt ſi quis erranti comiter monſtret viam; ſi lumen alteri de ſuo lumine accendat; facit quippe hic, vt nihilominus ipſi luceat, cum alteri accenderit.

§. VII.

In humanitatis officiis numeranda eſt commendatio.

Sed ne in recitandis humanitatis officiis præter neceſſitatem verboſus eſſe videar, oppido elegans illorum exemplum eſt, ſi quis virtuter, hominis bene merentis, laudibus ſuis ita exornat, vt eo facilius is, quod è re ſua ſit, ab aliis conſequatur; vel etiam ſi quis rei alicuius qualitates ita extollit, vt inde commodum euenire aliis poſſit. Quod amicitiæ genus vti *commendationis* vocabulo communiter venire ſolet, ita dignum mihi viſum eſt argumentum, in quo ſecundum iuris & iuſtitiæ regulas examinando, ingenii vires qualitercunque periclitar.

§. VIII.

Commendationis definitio.

Eſt itaque *Commendatio officium humanitatis, quo alterius beneuolentiæ & affectioni perſona aliqua vel res, prauia aut addita laudatione, inſinuatur.* Quod quia frequenter in ſcriptis fieri ſolet, inde tabularum ſeu litterarum commendatitiarum vſus & appellatio deſcendit; quæ vulgo nobis dicuntur *Vorſchrifften*, *Empfeblungs-Briefe*, *Recommendation-Schreiben*, *Interceſſionales*, &c.

§. IX.

Æquiuocum eſt commendationis vocabulum.

Statim vero ex propoſita definitione adparet, famoſiore in ſignificatione *commendationis* vocabulum me hic accipere, prout ſcilicet in iure noſtro tum alias ſæpe, tum maxime in lege *12. §. 12. D. Mandati*, occurrit. Nihil itaque ad præ-

præſentem tractationem attinet; quod Iureconſultus in lege 186. *de verb. ſign.* inquit, *commendare nihil aliud eſt, quam deponere.* Quod etiam, generatim hoc modo definitum, falſum eſt; neque enim cum aliquem commendo, apud alterum illum depono. Nec cum proficiſcens commendat quis amico liberos, familiam, domum denique totam, quidquam horum apud amicum deponit, cum & domus maneat eodem loco, & familia domi. Sed tunc *commendare* ſignificat deponere, cum fit quod depoſiti proprium eſt, id eſt, vbi rem alicui cuſtodiendam tradimus, ſic deinde dicimus, nos eam illi *commendare:* vt commendare, quod deponendi ſignificatum habet, ſit rem alicui traditam illi commendare, vt in ſpecie legis 24. *D. depoſiti:* ad quam accommodate uſus eſt Papinianus ſuperiore definitione, verbis quidem generali, ſed quæ ad exemplum illic propoſitum referri debeat: vt ſit ſenſus, *commendare*, in ſpecie propoſita, nihil aliud eſſe, quam deponere. Qua ex re, vt obiter hoc moneam, apparet, quod, niſi genuinam cuiuslibet legis aut regulæ ſpeciem, vulgo caſum appellant, eruere, atque illi, qui legem tulit συμφιλοσοφεῖν, in verborum pariter ac rerum conſideratione velimus, labi in multis nos per errorem cogamur. Exempla interim eiuſcemodi interpretationis ad imitationem propoſuerunt tum alii magni nominis Iureconſulti, tum in primis Iac. Gothofredus, & Ioh. Gœddeus, in elegantiſſimis ſuis commentariis ad *Titulos D. de R. I. ac de Verb. & Rerum Signific.* Plura vero de diuerſa commendationis acceptione, infra cap. 3. ſubiiciam.

§ X.

Expoſita ſic commendationis definitione, conſequens eſt, vt de eiusdem quoque *diuiſionibus* ſimus ſolliciti, maxi- Tranſitio.

 me,

Digitized by Google

me, quod vna alteraque illarum in reſoluendis, quæ infra proponendæ erunt, quæſtionibus practicis, inſignem nobis præbitura ſit vſum.

§. XI.

Diuiſiones commendationis.

Diſtingui autem *primo* commendatio poteſt in *nudam* ſeu ſimplicem, & *non nudam*. *Nuda* commendatio eſt, quæ in ſimplicibus laudationis & beneuolentiæ conciliandæ terminis ſubſiſtit; atque hæc iterum poteſt diuidi in *generalem* & *ſpecialem*: *illam* dicimus, cum aliquem generatim ſaltem, quod de recta eius vita, moribusque & actionibus nobis conſtet, vel in commune omnibus, vel eadem ratione certæ perſonæ commendamus; quod commendationis genus fere eiusdem cum litteris *teſtimonialibus* naturæ ac indolis eſt: *hanc* vero vocamus, quando commendatione ad certam perſonam directa, ad obtinendum certum commodum, quisquam exquiſitiſſimis verbis & ſingulari cum encomio eiusdem fauori inſinuatur. *Non nuda* autem commendatio eſt, quæ notiſſimos huius inſtituti excedit terminos, & *vel* cum vi aliqua perſuaſiua ſeu impulſiua coniuncta eſt, vt ſi quis non tantum commendet alicui quenquam, ſed etiam audire nolentem multis rationibus ſollicitet vrgeatque; *vel* etiam vbi naturam illa & poteſtatem mandati in ſe continet. Quo etiam loco habendum eſt, ſi quis alterum roget, vt *ſuo periculo* Titium huius vel illius officii ſeu negotii ratione commendatum ſibi habere velit; quod idem eſt, ac ſi *cum indemnitatis clauſula* facta eſſet commendatio; præterea ſi quis apud aliquem *ſingulari obteſtatione vſus* pro aliquo intercesſerit; denique ſi quis *fidem ſuam* interpoſuerit, clientem hoc vel illud facturum aut præſtiturum eſſe, & quæ ſunt huius generis alia.

§. XII.

§. XII.

Vlterius quoque commendatio alia *fraudulenta* eſt, alia *bona mente* facta. Alia *publica*, alia *priuata*. Alia à *principe* vel ſuperiore, alia ab *aequali vel inferiore* interpoſita. Ad extremum aliam quoque commendationem *neceſſariam*, aliam *voluntariam* dixiſſe, ab vſu rerum & recta ratione minime alienum eſſe videtur. Diuiſiones aliæ.

§. XIII.

Quanquam enim, quod ad prius membrum huius poſterioris diſtinctionis attinet, de eo propterea quis dubitare poſſet, quod ſuperius dictum, ab humanitatis & charitatis officiis originem ſuam ducere commendationes, atque ad illa exercenda homines imperfecte ſaltem obligari: tamen probe eſt obſeruandum, *tribus* maxime ex cauſſis euenire poſſe, vt perfectorum officiorum naturam ac indolem ea aſſumant, quæ in ſe humanitatis eſſe intelliguntur. Principio ſcilicet hoc fit per *auctoritatem & adſiſtentiam legis ciuilis*, ſecundo per *pactum*, denique per *neceſſitatis caſum*. His itaque modis etiam officium, commendandi alterum, naturam perfectæ obligationis induere omnino poteſt. Datur etiam commendatio neceſſaria

§. XIV.

Quæ cum ita ſint, extra dubitationis aleam poſitum eſt, primo ad faciendam commendationem per legem, ſtatutum, & conſuetudinem perfecte aliquem obligari poſſe. E. g. vbi iure definitum, diſceſſuris ex Academia vitæ virtutique debitum teſtimonium perhibendum eſſe; emeritis militibus literas dimiſſoriales concedendas; nec non famulis, opificibus, &c. Quædam commendatio ex lege debetur.

tabulas natalitias, vel peracti legitime tyrocinii, tribui debere: hiſce & ſimilibus caſibus perfecto iure, & actione in foro intentanda, commendatio peti poteſt. Nemo enim ius ſuum, quod hac parte leges ipſi procurarunt, quodque alter iniuſte detrectat, indiſcuſſum relinquere tenetur. *cap. nouit X. de Iudic.*

§. XV.

Alia ex conventione.

Eadem quoque ratione ex lege conuentionis commendatio ab aliquo recte exigitur, quia ius per pactum alicui ſemel legitime quæſitum inuito auferri nequit, *l. vlt. D. de pact. l. 5. C. de O. & A.* Quamobrem, qui de ſe commendando cum aliquo pactus eſt, actionem ex illo pacto inſtituere, ſi quidem, vt res eſt, vocare eam liceat, minime prohibetur; in primis cum in foro hodie ex omni pacto licito atque deliberato animo inito, valida detur actio. Vid. *Brunnem. in Comment. ad legem 10. D. de pact. n. 3. & 7.*

§. XVI.

Quid ſi indignus ex pacto petat commendationem?

Verum hic non ſine ratione quæritur, quid iuris ſit, ſi homo commendatione indignus eam ex pacto aliquo petat? Reſpondeo, talem indignitate ſua pactum hoc reddidiſſe inualidum, adeoque nullam ipſi ex eo competere actionem. Quæ ſententia vera eſſe videtur, ſiue gnarus fuerit promiſſor illius indignitatis, ſiue minus. Priore enim caſu, male quidem egit, quod tale pactum cum indigno fecerit; ſed tamen bis peccaret, vbi promiſſo ſuo ſtaret. Cum enim pacta humano ſaltem iuri contraria rata non habeantur, *Struu. in S. I. Ciu. Exerc. VI. th. 25. Pacius Cent. 2. quæſt. 4.* multo minus illa valent aut efficacem producunt actionem, quæ contra ius diuinum inita. Ex autem pactum de indigno commendando contra

octa-

octauum Decalogi præceptum, & pugnat cum officiis circa ſermonem. *vid. Lambertus Danæus Ethic. Chriſt. l. 2. c. 6.* Sed neque poſteriore caſu quis ad commendandum poteſt obſtringi, quia quousque non conſenſit, eousque non eſt obligatus; iam autem ſi ſciuiſſet, eum indignum eſſe, qui de ſe commendando cum ipſo paciſci vellet, pactum procul dubio non iniiſſet. Facit ad reſolutionem propoſitæ quæſtionis argumentum elegantiſſimæ *legis 15. D. de Condition. Inſt.* nimirum, quod quæ pacta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores ſunt, ea nec inire nos poſſe credendum ſit.

§. XVII.

Sed hinc noua exoritur dubitatio, an ſcilicet qui non precibus duntaxat, ſed & pretio commendationis ſuæ promiſſum ab aliquo obtinuit, repetere hoc poſſit, illa non ſecuta? Certe non puto, ſiue commendationem denegans ſciuerit, indignum eſſe, qui pecuniam dedit, ſiue non. Si ſciuit, ambo in pari turpitudinis cauſſa verſantur. Indignus enim, qui dato aliquo alterum ad ſe commendandum obligauit, eo ipſo turpiter egit; & qui tali pecunia accepta commendationem ſuam promiſit, eadem in turpitudine deprehenditur: In pari autem turpitudinis cauſſa melior eſt conditio poſſidentis, propriumque dedecus allegans non eſt audiendus, *lege 2. C. de Cond. ob turp. cauſ.* Si vero indignum eſſe neſciuit pecuniam accipiens, neque tunc reſtitui eam neceſſe eſt; namque & hoc iure definitum eſt; quod ſi turpitudo ſolum ſit ex parte dantis, non habeat locum repetitio. *arg. l. 4. §. 3. de Cond. ob turp. cauſ.* Brunnem. *ad l. 4. C. eod.*

De commendationis nundinatione.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Imperfecta commendationis promiſſio actionem non producit.

Ceterum hactenus dicta de promiſſione perfecta ſunt accipienda. Cum vero & aliæ promiſſiones dentur, quas imperfectas vocare licet, paucis diſpiciendum eſt, an & quatenus ex illis peti commendatio poſſit. Hoc vero elegantiſſime explicauit Pufendorffius *de Offic. Hom. & Ciu. L. I. c. IX. §. 6.* vbi ait: *Imperfecta promiſſio eſt, quando ipſi quidem, qui promittimus, vtique obligari volumus, vt tamen alteri ius ad exigendum non demus, ſeu vt nolimus ad promiſſum noſtrum implendum violenter compelli, v. g. ſi ita concipiam promiſſum; ego ſerio deſtinaui, hoc vel illud tibi praſtare, & peto, vt mihi credas. Sic enim videor obligatus magis ex lege veracitatis, quam iuſtitiæ, maloque videri propriæ conſtantiæ & grauitatis impulſu ferri ad faciendum officium, quam propter ius alterius. Huc ſpectant pollicitationes virorum potentum aut gratioſorum, quibus alicui non per verba bonoris, ſed ſerio ſuam commendationem, interceſſionem, promotionem aut ſuffragium ſpondent: quæ tamen hautquaquam velut iure aliquo abs ſe volunt exigi, ſed in ſolidum ſuæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari: vt officii ſui gratia eo maior ſit, quo longius ab eodem coactio abfuerit.* Confer. Hugo Grot. *de Iur. belli & pacis l. 2. c. 11. §. 2. 3. ſeq.*

§. XIX.

Datur commendatio ex neceſſitatis lege debita.

Reliquum eſt, vt videamus, quomodo commendatio per caſum neceſſitatis pleno iure ab aliquo poſtulari poſſit. Nimirum tanta neceſſitatis, quæ nullam legem habet, ſed ipſa, rebus exigentibus, pro lege habetur, eſt vis & efficacia, vt eius intuitu aliquando imperfecta obligatio naturam perfectæ induat, atque adeo plene poſci queat, quod alias non

niſi

niſi ex humanitate debetur. Qua propter ſi cui magnum vitæ, famæ fortunæque periculum ſubeundum eſſet, niſi commendationem ab aliquo obtineret, v. c. ſi quis pro homicida & exploratore haberetur, niſi à certo homine, ad quem innocentiæ ſuæ probandæ gratia prouocauit, inculpatæ teſtimonium vitæ acciperet, profectò; hic non ſolum intrinſeca quadam neceſſitate obligatus eſt, qui commendatione ſua infelicem iuuet hominem, ne omiſſa veritatis dictione in imminente vitæ diſcrimine idem pereat; quo nomine, qui veritatem malitioſe occultat, peccatum mortale committere recte dicitur. *c. quiquis. C. 11. q. 3.* ſed & magiſtratus auxilio implorato cogi aliquis poteſt, vt pro conſcientia ſua enunciet, quæ ad laudem & probitatem alterius facere videantur. Quod haud obſcure probari poteſt argumento eorum, quæ habet Iureconſultus in *l. 22. D. de Teſt.* & Imperator quoque *l. 19. C. eod. ibique Brunnemann.* Quo etiam ſpectat, quod pro re nata in iudicio criminali ipſis quæſtionibus ſubiici poſſint teſtes, ſi veritatis conſcii dicere eam recuſent; in ciuili autem iudicio mandatis pœnalibus, mulctæ, pignorum captionibus, aliisque coercitionibus, hoc caſu locus eſt. *vid.* Ant. Matthæi *de Crimin. T. XVI. c. 2.*

§. XX.

Quæ hactenus à me diſputata ſunt, habent rationem exceptionum a ſuperius propoſita iuris regula, quod ſcilicet humanitatis officia, ex quibus commendatio fluit, imperfectam in ſe habeant obligationem; in ceteris itaque firmo illa nititur veritatis talo. At conſcientiam tamen etiam humanitatis officia ſtringunt: quo circa interna ſaltem ad commendandum bene merentem obligatio eſt perpetua; & quod ſibi

Interna, ad commendandum bene merentem obligatio, eſt perpetua.

Digitized by Google

ſibi hac in re fieri quisque vult, aliis etiam facere debet. Verum cum prudentia tamen & circumſpectione hoc officium eſt exercendum, ne ſcilicet vel commendanti ipſi, vel commendatæ perſonæ, vel commendatario denique exiſtat detrimentoſum.

§. XXI.

De prudentia in commendationibus adhibenda, earundemque abuſu.

Sed meum nunc non eſt de prudentia circa commendationes adhibenda, ſingulisque perſonarum, quæ ad illas concurrunt, qualitatibus copioſe differere; egit iam hoc inclutus poſt fata etiam vir, Ahasu. Fritſchius *in Commentatiuncula de Litteris Commendatitiis*, vbi virtutes perſonæ commendantis, quæ commendatione vtitur, & ad quam hæc dirigitur, ſummatim exponit. Vnum hoc moneo vehementerque doleo, quod cauponariæ illæ commendationum nundinationes, quæ tam frequentes eſſe hodie cernuntur, rectum & laudabile commendationum inſtitutum tantum non penitus peruerterint. Fieri quippe ſæpe numero videmus, indigniſſimos homines magnis encomiis exornari, interdum plane ignotos collaudari, nonnunquam etiam ſanguini, affinitati ac amicitiæ nimium hac parte indulgeri. Quibus rebus efficitur, vt, cum *non omnes ex bona fide elogia ſcribant*, vt ait IC. *in lege 6. pr. D. de Cuſt. & Exhibit. Reorum*, in multorum animis euileſcat veluti commendationum auctoritas, pudor autem temere commendantium non ſolum inconſulta laudatione haud raro oneretur, ſed & alias imprudentiæ ſuæ pœnas illi dare neceſſe habeant. Quæ cum ita ſint, ſumma opus eſt circumſpectione, ne, quod ex humanitatis officio factum eſt, poſtea perfecte nos obliget; cauendumque ſedulo, ne benefactum male locatum, pro malefacto reputetur.

Quam

Quam in rem appoſite & venuſte canit Venuſinus Poëta *L. I. Ep. XVIII.*

Qualem commendes etiam atque etiam aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus. *Ergo eſt*

CAPVT II.

DE OBLIGATIONE QVÆ EX COMMENDATIONE ORITVR.

§. I.

COmmuni iuris peritorum calculo adprobata ſententia eſt, regulariter ex commendatione nullam naſci obligationem. vid. Köppen *P. 1. Dec. 36. n. 10.* Brunnemann *ad leg. ult. Cod. quod cum eo, qui in alien. pot. n. 2. & 6.* Meuius *ad Ius Lubec. P. III. T. 10. art. 1.* Firmatur etiam illud Doctorum enunciatum manifeſta iuris noſtri diſpoſitione, *in lege 12. §. 12. D. mandati:* ibi: *non obligabitur mandati, quia commendandi magis hominis, quam mandandi cauſſa, epiſtola ſcripta eſt.* Iunge *l. 7. §. 10. D. de dolo malo. L. 19. in pr. D. de ædil. edict. L. 11. §. 2. D. de Legat. III. L. 13. final. C. quod cum eo, qui in al. pot.*

Regulariter nulla oritur ex commendatione obligatio.

§. II.

Sed nec ratio harum legislationum in obſcuro eſſe poteſt; *Commendationis* enim verbo nihil aliud continetur, quam vt is, cui quis commendatur, humanitatis & beneuolentiæ

Huius aſſerti ratio.

 officia

officia commendato exhibeat, eumque adiuuet, ſed citra damnum & iacturam rei familiaris. Finckelth. *obſ. 16. n. 2.* Et quemadmodum ſupra monſtratum, ex mero humanitatis officio, quod nemini detrimentoſum eſſe debet, commendationem deſcendere: ita quoque eius natura hæc ſaltem eſt, vt perſona vel res, præuia laudatione, alterius beneuolentiæ & affectioni inſinuetur. Exinde autem voluntas ſe ipſum obligandi minime colligitur: actus enim agentium vltra intentionem illorum non debent operari, *l. 19. in pr. D. de reb. cred.* Adde dictam *l. 12. §. 12. D. mandati,* vbi Vlpianus voluntatem commendantis inſpicere iubet, dicens, quod ſi ita ſcriptum: *Rogo te, commendatum habeas Sextilium Creſcentem, amicum meum,* non obligabitur mandati; quia commendandi magis hominis, quam mandandi cauſſa hoc prolatum cenſetur. Eadem iuris ratio etiam ex *cit. l. 11. §. 2. D. de Leg. III.* & *ex l. 13. C. quod cum eo, qui in al. pot.* ſatis luculenter apparet. In priore enim dicitur, *aliud eſſe perſonam commendare, & aliud voluntatem ſuam inſinuare.* In poſteriore autem ita diſponitur: *Familiares epiſtolas, quibus homines plerumque commendant abſentem, in id trahere non conuenit, vt obligatoriæ eſſe cenſeantur.* Add. Hering. *de Fidei. c. 18. n. 10.* Superioribus rationibus hæc etiam accedit, quod liberum cuique ſit apud ſe explorare, an ſibi expediat commendationem ſequi nec ne: vt in ſimili loquitur Imperator *§. 6. I. de mandato.*

§. III.

Concluſio I. ex illo principio deducta.

Ex hiſce principiis variæ elegantesque deduci poſſunt concluſiones. Prima ſit, quod licet commendationi inſtigatio quædam & perſuaſio acceſſerit, tamen, ſi fraus abſit, ex ſententia Papiniani *in l. 20. D. de his, qui notantur inf.* obli-

gatio-

gationem ea non producat. Ratio eſt, quia qui adhortatur aut inſtigat, mandatoris opera non fungitur. Placuit quoque hæc ſententia iam dudum Scabinis Lipſienſibus, vt videre eſt apud Bened. Carpzou. *in Dec. Sax. Dec. 126. n. 9.* ibi: *Wenn ſie nun gleich mit guten Worten dahin beredet worden wäre, daß ſie N. N. ſolche Gelder vorgeſtrecket. Diewveil er aber dennoch vor ſelbige Schuld ſich nicht ausdrücklich in Bürgſchafft verpflichtet, ſo mag er auch deswegen actione mandati oder in factum, oder auch ſonſten beſtändlich nicht belanget, noch die Zahlung zu leiſten angehalten werden. V. R. W.*

§. IV.

Secundum exemplum in patre & domino occurrit, dum ex eo non tenentur, quod filio vel famulo, probitatis & induſtriæ nomine commendato, aliquis credidit pecunias, vel ex qualibet cauſſa alia obligatos eos reddidit. Vid. Nicol. Boerius *Dec. 182. n. 2.* Maſcardus *de Probat. Vol. II. conc. 629. n. 11.* Ceterum ſicut hæc de nuda & generali commendatione vnice ſunt accipienda; ita facile quoque apparet, non liberari debitorem, ſi ob eiusmodi laudationem creditoris filio aut famulo pecuniam, quam debebat, ſoluerit, vid. *l. 38. D. de ſolut.* niſi *v. gr.* dominus creditor ſolitus fuerit exigere credita per hunc famulum, probum ſcilicet atque integræ fidei hominem. Confer. Alex. Trentacinquius *Lib. III. Reſ. 18.* B. Struu. *in Iuriſpr. Rom. Germ. L. III. D. 21. §. 5.* Concluſio II.

§. V.

Tertio loco huc referri meretur, quod Florentinus decidit in *lege 43. D. de contrah. emtione.* *Ea, quæ commendandi cauſſa in venditionibus dicuntur, ſi palam eſſe appareant,* Concluſio III.

 vendi-

venditorem non obligant: veluti ſi dicat ſeruum ſpecioſum, domum bene ædificatam. Quamquam enim nouum aut inſolens non eſt, vt, qui effuſo ſermone ſeſe iactat, in promtum incidat ſui periculum, quomodo Iuſtinianus loquitur *in lege vlt. in f. Cod. de Dot. prom.* tamen ea ſola dicta promiſſaque admittenda ſunt, quæcunque ſic dicuntur, vt præſtentur, non vt iactentur, *lege 19. §.3. D. de ædil. edict.* Poſterioris autem generis ſunt, quæ ad nudam ſerui laudationem pertinent, etiamſi palam non appareant; vt ſi quis dicat hominem frugi eſſe, probum, dicto audientem, *d. l. 19. in pr.* Multo magis ea, quæ an ſint & qualia ſint palam apparet, de quibus Florentinus in cit. lege loquitur: Veluti ſi dicat venditor, ſeruum, quem vendit, ſpecioſum eſſe, vel domum ſcite ædificatam. Se ipſum enim decipit emtor, nec decipitur à venditore, cum videre poſſit, neque ſpecioſum eſſe ſeruum, neque domum bene ædificatam; non minus quam ſi ſeruum luminibus effosſis videret, quem tamen venditor oculorum luminibus præditum diceret. Quamobrem quod venditor commendandi tantum gratia dixit, ſic habendum eſt, quaſi neque dictum, neque promiſſum eſſet *l. 37. D. de dolo:* vbi quod pro exceptione additur, *niſi emtoris decipiendi cauſa dictum ſit*, ſic eſt accipiendum, vt ad ea tantum pertineat, quæ non apparent, non autem ad ea, quæ apparent. Nunquam enim emtor deceptum ſe dicere poteſt in iis, quæ ignorare non potuit, *lege 1. in f. de act. emt.* Non autem potuit ignorare quæ incurrunt in ſenſus; non ergo quaſi ob dictum aut promiſſum aliqua emtori contra venditorem actio ex hac cauſſa poteſt competere. Conf. Ant. Faber *in Ration. ad cit. leg. 43. D. de contr. emt.* D. Herr. *Paroem. Iur. L. I. Par. LIII.*

§. VI.

§. VI.

Noua ſpecies eſt, quod, ſi quis honeſtum cuiusquam animum ſimulque magnam eius opulentiam, ſermonibus ita ſerio extulerit, vt fidem pro eo ſuam facile ſe interpoſiturum eſſe, affirmauerit; eaque ratione aliquis inductus fuerit ad pecunias illi credendas, quas à debitore, ſoluendo non exiſtente, repetere nequeat, actio aduerſus laudatorem illum, ſi tamen non fideiuſſerit, locum non habeat. Vide Carpzou. *in Iuriſpr. for. P. II. Conſt. 18. Def. 1.* Concluſio IV.

§. VII.

Sed longum foret enumerare omnes caſus, quorum ex ſuperioribus principiis formari poteſt deciſio: latiſſime enim patet propoſita in exordio huius capitis regula, *ex nuda* ſcilicet, *generali, atque ſimplici commendatione, nullam in foro ciuili naſci obligationem aut actionem.* Ad hanc vero etiam pertinent omnis generis teſtimonia, quibus aliquis vt induſtrius, probus, in ſuo genere eruditus, item ab honeſta ſua natiuitate, ab artis peritia, à rebus præclare geſtis, &, vt generatim dicam, ab omnibus, quæ ad laudem & honorem alicuius facere videntur cauſſis, vel in uniuerſum omnibus, vel certæ etiam perſonæ commendatur. Eiuſcemodi enim commendans, quiſquis demum ſit, non id agit, vt pro commendato fidem ſuam interponat, ſed vt aliorum ſaltem beneuolentiam ipſi conciliet: actus enim agentium, ſicuti prædixi, vltra intentionem, eorum non poſſunt operari. *vid.* Harprecht *ad §. 7. I. de fidei. n. 3.* Teſtimonia commendatitia non obligant.

§. VIII.

Proximum eſt, vt inquiram, quibus tandem caſibus obligatoria exiſtat commendatio, quæ ve & quales actiones ex illa Naturalis circa commendationem obligatio.

Digitized by Google

illa reſultent. Iuuat autem ſtatim heic monuiſſe, ſermonem mihi haudquaquam eſſe de illa obligationis ſpecie, quæ ex ſolo gratæ mentis beneficiorumque memoris dictamine inducitur, ſequuta videlicet commendationem, recta non minus intentione factam, quam omni ex parte fortunatam. Ad hanc enim quod attinet, minime eſt ambigendum, quin naturalis obligatio naſcatur, vt beneficii debitor fiat, cuius commendatio pondus habuit. Viciſſimque in eo, qui intelligit commendationem alicuius uſui ſibi fuiſſe, gratus exiſtere debet animus, quo is oſtendat, illam ſibi proficuam fuiſſe; debetque eam ob cauſam fauere commendatori, & gratiæ referendæ quærere occaſionem.

§ IX.

Elogia minus ex fide ſcripta pudorem onerant.

Sed neque de eius generis obligatione multis heic agere animus eſt, quæ ex commendatione minus ex fide facta oritur, vel omiſſa etiam illa, vbi ex merito fieri debuiſſet. Hæc enim, vt facile apparet, reatum potius in conſcientia contractum, peccatique ſenſum arguit, quam vt obligationis proprie ſic dictæ nomine venire poſſit. Interim hæc ipſa tamen res eſt, quam in commendationibus ſcribendis graues & cordati viri cane peius & angue fugere ſolent, in vniuerſum autem omnes alienæ beneuolentiæ conciliatores deteſtari maximopere deberent.

§. X.

Temeraria commendatio conſcientiam onerat,

Quemadmodum enim ſupra monſtratum eſt, in conſcientia obligari aliquem, vt vel perſonam optime merentem, opisque alienæ indigentem, aliorum beneuolentiæ inſinuet, vel etiam rem, *v. g.* librum melioris notæ, ſalubre medicamentum &c. aliorum vſibus commendet: ita ex his facile con-

conſequitur, non modo peccato non carere eum, qui hæc talia humanitatis officia, quæ tamen ſibi exhiberi vult, aliis negat; ſed & conſcientiam grauiter onerare ſcribentes temere perſonæ alicuius, vel rei, elogia.

§. XI.

In naturalis & gentium iuris præceptis numeratur, vt ne quis ſermone, aut ſignis aliis, ad exprimenda animi ſenſa inſtitutis, alterum decipiat, vel commodis eius quocunque modo officiat. Hoc vero facit, qui immeritis laudibus perſonæ alicuius vel rei qualitates extollit, eaque ratione rectam ſpem & intentionem illius eludit, ad quem diriguntur eiuscemodi præconia. Meritiſſime hinc inter peccata, quæ contra octauum decalogi præceptum committuntur, temerarias hominum commendationes refert inclytus Theologus, Arnoldus Mengeringius, *in Scrutinio Conſcient. c. 17. q. 19.* vbi grauiter ita ſcribit: *Frage dein Gewiſſen, ob du iemand ohne rechten Grund, ins blinde Feld hinein commendiret und gelobet, ſeine Perſon und Qualitäten gerühmet und heraus geſtrichen? Das iſt des gemeinen unvernünfftigen Pœbels Art, daß es ohne rechten Grund ins blinde Feld hinein lobet oder läſtert; iſt aber, weil es aus Leichfertigkeit herrühret, verwerfflich, und unrecht nach dem VIII. Gebot. Wer demnach einen commendiren und loben will, der thue es nicht auf anderer Leute Ausſage, ſondern höre und kenne ihn ſelbſt, und richte rechtſchaffen, darnach gebe er ihme Zeugniß.* Adde plur. Fritſch. *de litter. commend. m. II. §. 2.*

Commendatio temeraria officiis ſermocinantium, & VIII. decalogi præcepto repugnat.

§. XII.

Quanquam autem hæc ita ſunt, pro certo tamen, ſicut prædixi, habendum eſt, efficientiam iuris, aut obligationis, in foro

Actionem tamen in foro non producit.

foro ciuili tribui non poſſe temerariæ eiusmodi, atque ex inconſiderantia factæ commendationi, ſiquidem nuda hæc fuerit, & in generalibus terminis perſtiterit. Magis enim hæc vitium animi eſt, & voluntatem a prauis affectibus parum repurgatam arguit, quam vt in negotium aliquod obligatorium ciuile incidat. Hinc vti non omnes actus vitioſi tales ſunt, qui puniri ab hominibus poſſint; ſimiliter non omnis commendatio ex inconſulto affectu profecta in foro ciuili producit obligationem vel actionem. Conf. Grot. *de I. B. & P. L. II. c. 10.* §. *18.* Ceterum cordatorum tamen iudicio virorum moralis pœnæ rationem habet, quod erubeſcendum ei ſit, pudoremque ſuum ipſe inſigniter profanaſſe cenſeatur, qui commendare ſuſtinuit hominem, cuius qualitates commendationi minime reſpondent.

§. XIII.

Commendatio doloſa eſt obligatoria.

Tractandum vero in primis mihi eſt, de illa obligationis ſpecie, quæ in ciuili etiam foro ſpectatur, atque ad actionem in eo producendam efficax eſt. Iſta autem ex variis commendationis generibus reſultat. Primo loco huc pertinet caſus, vbi quis dolo malo, eaque intentione, vt alius decipiatur, perſonam aliquam, vel rem, magnis laudibus extulit. Dolus enim malus in omni negotio præſtandus, & nunquam impunitus eſſe debet: quod adeo verum eſt, vt ne expreſſa quidem conuentione illi præſtationi derogari poſſit, *lege 23. de R. I.* Rationem, niſi res per ſe manifeſta ſit, reddit Iureconſultus *in lege 1.* §. *7. D. depoſ. nam,* inquiens, *hæc conuentio contra bonam fidem, contraque bonos mores eſt; & ideo nec ſequenda.* Cui accedit, quod ad delinquendum inuitat eiuscemodi pactum, ſeu delicti illicium eſt: iunge *legem 27. D.* §. *3. & 4. de pact.* & *legem 5. pr. D. de pact. Dotal.* Quemadmodum itaque *in lege*

ge 47. de R. I. docet Vlpianus, conſilii non fraudulenti nullam obligationem eſſe; ceterum ſi dolus & calliditas interceſſerit, de dolo actionem competere; eadem plane ratione cum commendatione res comparata eſt. Dolus autem eſt, ſi quis aliud ſuggerit, quam vere ſubeſſe ſciuit; veluti ſi dixit diuitem, quem inopem, bonæ fidei virum, quem fraudatorem eſſe non ignorauit. Meuius *ad Ius Lub. P. III. Tit. X. art. vn.*

§. XIV.

Doloſæ commendationis requiſita.

Ceterum conſtat, non ſtatim mendacii notam eum contrahere, qui fictis vtitur ſermonibus. Multis enim modis hoc fieri poteſt citra perniciem alterius. Hinc ea demum commendatio pro doloſa haberi debet, quæ inducendi alterum lædendique animo facta. Sola ergo calliditas, fallacia & machinatio non ſufficit, ſed præterea requiritur, illam ad circumueniendum, fallendum, decipiendumque alterum, fuiſſe adhibitam. Vide *legem 1. D. §. 2. de dolo malo.* Sic doloſa perſuaſio & exhortatio affectata, cum quis alium ſeducendi cauſſa falſo laudat, non effugiet doli iudicium, *lege 7. §. fin. D. de dolo malo.* Ita in ſimili inquit Gaius *in lege 8. D. cit. tit.* quodſi, cum ſcires fideiuſſorem facultatibus labi, tui lucri gratia affirmaſti mihi, *idoneum eſſe*, merito aduerſus te, cum mei decipiendi cauſſa alium falſo laudaſti, de dolo iudicium dandum eſt. Adde *l. pen. D. de iure dot. l. 22. §. 2. ſol. mat. dos quemad. pet. l. 52. §. 21. D. de furtis.* Atque hanc in ſententiam Iureconſulti Lipſienſes pronunciare haud dubitarunt, & quidem hiſce formalibus: *Wenn es eurem Bericht nach bewandt, oder ſonſt zu beſcheinigen, daß N. N. euch vorſetzlich und wiſſentlich, daß H. T. vor etlichen Jahren allbereit mit mehr Schulden, als ſein Vermögen gewesen, verhafftet, euch auch durch ſein*

Rühmen und Ausgeben ſeines Wohlſtandes, und daß keine Gefahr vorhanden, zu dem Anlehn der 150. Thaler beredet und bewogen hätte: So wehret ihr ihn, und wofern ihr anderſt von dem Schuldner nicht könntet bezahlet werden, der obgedachten Summa und Intereſſe wegen, rechtlich zu belangen, wohl befugt, und da er ſonſt nichts erhebliches darwider vorzuwenden, wäre er auch die 150. Thaler ſamt gebührlichen Zinſſen und verurſachten Unkoſten zu erſtatten ſchuldig. V. R. W. Carpz. *Dec. 126. n. 13.*

§. XV.

Quid, ſi fraude tertii facta ſit commendatio?

Verum hic non immerito quæritur, quid iuris, ſi tertii cuiusdam dolus commendationi interuenerit. Caſus hoc modo contingere poſſet: Sempronium, integerrimæ fidei virum, rogat quis, vt ſibi actuario vel amanuenſi opus habenti, hominem ad hoc officii genus aptum commendare velit; hic, quum talem ipſe neſciat, Titium eo nomine adit: iſte autem ſciens volensque nebulonem peſſimum, ac hominem plane ineptum, magna laude exornat, vt ea ex ratione Sempronio, cui clam infenſus eſt, noceret: commendato itaque homine officio ſibi mandato minime ſatisfaciente, quin varia potius damna dante, quæriter, Sempronius ne an Titius ea propter conueniri poſſit? Et primo quidem intuitu aduerſus Sempronium dari actio videtur. Verum oppoſita ab hoc quaſi laudationis, ſeu nominationis auctoris, exceptione, Semproniique interuenientis fraude probata, hunc ad damna reſarcienda teneri non dubitandum eſt; quoniam nemini malitia ſua debet eſſe lucroſa, & aliis ſimplicitas damnoſa *l. 1. pr. D. de dolo malo.* & dolus, ſicuti prædixi, in omni negotio præſtandus eſt *l. 23. D. de R. I.* Sempronio quoque hic nihil imputari poſſe conſtat, quia alterius

fraude,

Digitized by Google

fraude, quam propter affectatam ſinceritatem non cognoſcebat, inductus commendationem bona fide interpoſuit.

§. XVI.

Doloſa etiam cenſetur illa commendatio, ſi quis ſui lucri & commodi cauſſa, vel accepta pecunia, indignum hominem inſigniter laudauerit, fidemque alteri de eo fecerit. Quod probe notandum eſt aduerſus proxenetas, quorum interuentione inter duos negotia contrahuntur, vel nomina, vel nuptiæ, vel amicitiæ, & quæ ſunt huius generis plura. Eiusmodi enim conciliatores & pararii in opera ſua dolum malum duntaxat præſtare debent; alioquin nulli rei obligantur, etiamſi proxeneticum ſiue philanthropum acceperint, *lege 2. D. de Proxeneticis*. Cuiac. *Obſ. L. XI. c. 18.* Commendatio lucri cauſa facta obligat.

§. XVII.

Præterea quoque doli particeps eſſe intelligitur creditor, qui ſe talem diſſimulat, interim ſuum debitorem, vtut labi eum facultatibus, & mox decocturum ſciat, laudat & commendat aliis, quo ei mutuam dent pecuniam, vel etiam merces, habita fide, vendant: eaque ratione ſatisfieri ſibi de ſuo debito ipſe procurat. Hunc ſane actioni de dolo ius & ratio facit obnoxium; immo in crimen falſi incidere idem videtur, quia in aliorum præiudicium veritatem improbe immutauit. vid. Meuius *ad Ius Lub. P. III. T. 10. art. vn. n. 20.* Stracha *de Decoctoribus P. II. q. 7. pr. & n. 33. 34.* Exemplo res illuſtratur.

§. XVIII.

Ex improbis rabularum, togatorum illorum vulturum, fraudibus, huc referri meretur, quod nonnunquam acceptis muneribus, parti aduerſæ gratificantes, transactionem clienti ſuo Obtrectationis & commendationis doloſæ par eſt ratio.

Digitized by Google

ſuo valde commendent, iuſteque litigantem hortentur, vt conditionibus iniquiſſimis tranſigat, quaſi cauſſa eius in iure non ſatis fundata, & lis futura ſit diuturnior ac ſumtuoſior. Nimirum vt crimine non caret causſidicus, qui, cum intellexit, penes clientem ſuum iniuſtitiam cauſſæ manifeſtam eſſe, auctor ei fuerit transactionis ineundæ, cum aduerſæ partis damno: ita viciſſim grauiſſime peccat, & a præuaricatione haud alienus eſt, qui cum iuſto ſub clypeo militare poſſet, intentionem clientis iniuſtam eſſe, reclamante conſcientia, huic perſuadet, propriique lucri cauſſa ad tranſigendum inducit eum. Iuris ratio eſt, quod ſolum in cauſſis dubiis interuenire debeant transactiones. Atque in pari turpitudine verſantur, & qui, quod vituperio dignum, intempeſtiuis laudibus extollunt; & qui, quod rectum bonorumque calculo dignum eſt, maleuole reprehendunt. Iunge, ſi videtur, Caſpar. Zieglerum *in Rabuliſtica, c. VIII. §. 11.*

§. XIX.

De commendatione in contractibus adhibita.

Difficilior eſſe inſpectio videtur, annon commendatio contractui accedens nonnunquam doloſa, & per conſequens obligatoria eſſe poſſit? Equidem iam ſupra *ex lege 43. D. de contrah. emt.* monſtraui, quod ea, quæ commendandi cauſſa in venditionibus dicuntur, venditorem non obligent. Verumhoc ita explicat Florentinus, cit. legis auctor, *ſi palam aliter eſſe appareant; veluti ſi dicat ſeruum ſpecioſum eſſe, qui talis non ſit. At ſi dixerit hominem litteratum vel artificem, præſtare debet; nam hoc ipſo pluris vendidit.* Hinc non immerito concludimus, emtori omnia præſtare debere venditorem, quæ commendationis cauſſa dixit, *ſi ea palam non appareant, & ob eam tamen rem ad contrahendum acceſſerit emtor, vel ſaltem pluris emerit.*

Digitized by Google

§. XX.

Talis enim commendatio non tam ad rei laudem nudam, quam ad venditoris potius vtilitatem pertinet. Si itaque ſemper dolus ſubeſſe cenſetur, vbi quis lucri cauſſa aliquem commendat, non video, quomodo fraudis expers eſſe queat, qui bene litteratum aut artificem dicit ſeruum venditum, quem ſciat talem non eſſe. Et ad hunc demum caſum pertinet, quod ſcriptum eſt in *lege 37. D. de dolo*, de venditore qui decipiendi emtoris cauſſa rem venditam commendauit: res videlicet ibi, vel rei potius qualitas, intelligitur, quæ non palam apparebat, & quam ideo emtor veriſimiliter ignorare poterat. Facit quoque eleganter ad huius quæſtionis deciſionem *lex. 13. pr. & §. 4. D. de action. emt. & vend.* Denique conſtat ſemper id emtori præſtandum eſſe, propter quod emit carius, *d. l. 43. de cont. emt.* Ex quo fluit, ſi venditor aſtute celauerit rei ab ſe commendatæ vitia, quæ, absque fraude fuiſſet, facile in oculos incurriſſent emtori, illa quoque præſtanda eſſe: neque enim contrahentes decipere licet, *lege 11. §. 5. in f. D. de Inſt. act.* maxime nihil eos doloſe debet celari, cum diligenter inquirunt, *lege 1. §. 1. D. de act. emt.*

Quare & qua ratione ea fit obligatoria.

§. XXI.

Quemadmodum vero quæ de emtione hactenus diſputaui, ad reliquos etiam contractus omnes referri debent; ita probe notandum eſt, quod ſi commendatio non fuerit cauſſa vnica & impulſiua contractus, non habeat quod queratur contrahens; ſuæ ſcil. facilitati, non alienæ commendationi imputaturus, quod crediderit. Oportet igitur emtorem aliumve contrahentem inductum eſſe, vt emeret, vel contraheret. Vnde etiam Doctores communiter circa conſilium hac diſtinctione

Niſi cauſſam contractui dederit commendatio, obligationem haud parit.

vtuntur,

Digitized by Google

vtuntur, an conſultor ſine conſilio facturus fuiſſet, an vero conſilio inductus fuerit. Quæ itaque commendationes poſt contractum initum fiunt, nullo caſu ſunt obligatoriæ, etiamſi intrinſecas rei qualitates ſpectent; niſi forte iis emtor detineatur à perſequendo mature iure ſuo: in hoc enim par eſt ratio; quapropter commendans pari modo obligatur: rectiſſime ita ſentiente ſummi nominis ICto, Dauide Meuio, *in Comment. ad Ius Lub. P. III. T. 10. n. 33.*

§ XXII.

Regula generalis de commendatione doloſa.

Sed ne ſuperuacaneum laborem ſuſcipere, atque contra tractationis compendiariæ rationem, omnia doloſæ commendationis exempla, ſi quidem hoc fieri poſſit, conquirere videar, generatim tuebor, *omnia perſonarum ac rerum elogia, ex mala fide, & ad iniuriam aliorum ſcripta, vel dicta, ſi hæc etiam actu ſequatur, validam producere obligationem & actionem.* Atque heic nihil referre arbitror, ſiue à perſona publica ſiue à priuata, in iudicio vel extra iudicium, ſiue à clerico ſiue à laico, oneroſa vel lucratiua ex cauſa, &c. facta ſit eiuſcemodi commendatio.

§. XXIII.

Doloſæ commendationis requiſita.

Ceterum quoniam in foro ciuili quilibet habetur pro viro bono, & qui cum aliis ad præſcriptum legum viuere ſoleat, quousque pro vitioſo ciuitatis membro idem non fuerit declaratus; idcirco, qui commendationem doloſam fuiſſe aſſerit, hoc probare debet. Quod onus certe grauiſſimum eſt, cum ne ex falſa quidem commendatione ſtatim præſumatur dolus, niſi magna calliditas & lucrum commendantis concurrat. Finckelth. *Obſeru. 16. n. 5.* Brunnemann *in comment. ad legem vlt. Cod. quod cum eo, qui in alien. pot. n. 2. 6. & 7.* Recte autem doli

doli aut calliditatis præſumtio fieri poteſt, vbi veritatem negans, aut aliquid aliud agens, ex ea re euidens commodum ſentit, Wammes. *conſ. 8. n. 12.* & hoc caſu pro re nata purgationis iuramentum, ad præſumtionem doli elidendam, alicui iure imponi poteſt. Vide Hering. *Tr. de Fideiuſſ. c. 18. num. 15. & ſeq.* vbi ita aliquando factum eſſe dicit. Qui igitur ex fucata commendatione doli quemquem intendit arguere, tenetur exquiſitis rationibus confirmare, *primo* fallacem, & a rei veritate alienam fuiſſe commendationem; *deinde* ex magna calliditate & decipiendi animo eam eſſe factam; *porro* ſe doloſa commendatione, à viro, fide alioquin digno, inductum eſſe; *ad extremum* magnum ſibi exinde detrimentum illatum. Videantur pluribus Meuius *P. 6. dec. 156.* & celeberrimus quondam in Academia Julia Anteceſſor, And. Homborgius, *Diſſ. de Litteris commendatitiis c. 4. §. 4.*

§. XXIV.

De actionibus vero ex commendatione doloſa oriundis, breuiter ſic habendum eſſe reor. Si dolus ille per ſe veluti ſtat, atque omnino extra contractum eſt, cui accedere potuiſſet, neque etiam in propriam delicti ſpeciem cadit, tunc non alia, quam ipſa de dolo actio, ex hac cauſſa dari debet. *vid. legem 37. & l. 7. §. vlt. cum lege ſeq. D. de dolo malo.* Ceſſante vero forſan vno vel altero famoſæ huius actionis requiſito, vel alia ſingulari ratione concurrente, in actionem in factum ea temperanda eſt, *arg. §. vlt. in fin. Inſt. de lege Aquil.* Quod ſi autem in contractu quodam adhibita fuerit commendatio doloſa, ille vel ſtricti iuris eſt, vel bonæ fidei: priore caſu, ſiue cauſſam contractui dolus dederit, non reddit eum ipſo iure nullum; ſiue in aliqua parte acceſſerit tantum, nec purgatur actione ex contractu

De actionibus ex commendatione doloſa oriundis.

E deſcen-

deſcendente; quoniam hæc quoque ſtricti iuris eſt: itaque ſpectandum duntaxat venit, vtrum is, qui dolo alterius malo ad contrahendum inductus eſt, iam impleuerit contractum, nec ne: ſi nondum impleuit, exceptione doli mali agentem repellere poteſt, *lege 36. D. de Verb. Obl. l. 5. C. de inutil. ſtip.* actionem autem de dolo hoc caſu non habet, quippe quæ nec cum exceptione doli concurrit, *vid. leg. vlt. D. de dolo malo*, ibique P. Buſium *in Comment.* Sin autem impleuit contractum, iam, quia exceptionem doli non habet, ſi cetera quoque remedia deſint, dabitur ei actio de dolo, tanquam vltimum ſubſidium. Quod ad contractum bonæ fidei, aut cauſſam illi dedit doloſa commendatio, & contractus ipſo iure nullus eſt, quoniam in hoc plenior & exuberantior fides requiritur; aut incidit ſaltem illa circa internam rei qualitatem, vt pluris emta fuerit res inſigniter commendata, & purgatur dolus per ipſam actionem ex contractu illo deſcendentem *d. l. 7. §. 3. D. de dolo malo & l. 13. §. 4. 5. de act. emt. l. 2. C. eod.* aut, ſi conueniatur, qui doloſa commendatione læſus eſt, purgatur exceptione doli, quia hæc bonæ fidei iudiciis ineſt. *l. 21. D. ſol. matr. l. 84. §. 5. D. de leg. I.* Denique ſi in propriam delicti ſpeciem cadit doloſa commendatio, actione, quæ ex illo delicto venit, erit vtendum. *arg. legis 52. §. 21. D. de furtis.* Vinnius *Sel. Iur. Quæſt. l. 1. c. 12.* Io. à Sande *in Comment. ad l. 47. de R. I.*

§. XXV.

Commendatio ſpecialis vim habet mandati.

Nunc de aliis obligatoriæ commendationis figuris explicandum eſt. Hoc loco autem merito habetur commendatio, quæ dicitur, *ſpecialis*, hoc eſt, ad certum quendam actum, ſingulareſque eius circumſtantias, inſigni cum perſuaſione, hortatu & collaudatione directa, & qua quis ad contrahendum vel facien-

ciendum inductus ſit, alias non contracturus, neque facturus. Exempli cauſſa, ſi quis tali modo aliquem commendaſſet: velim tibi perſuadeas, nihil te mihi gratius facere poſſe, quam ſi omni ſtudio, pecunia quoque, ſi qua eget, hunc hominem adiuueris, vel in tecta tua eum receperis, conuictuque tuo vti ipſi permiſeris. Eiusmodi namque commendatio mandati inſtar eſſe videtur, adeoque actionem quoque mandati producit, *l. fin. verb. niſi ſpecialiter. C. quod cum eo, qui in al. iunge* §. *6. in f. Inſt. de mand. l. 6.* §. *5. & l. 16. D. eod.*

§. XXVI.

Eſt tamen vir doctiſſimus, qui in compendio Pandectarum, ad *Tit. mand.* §. *4.* ſcribit, quod nec commendatio ſpecialis obliget, citans in hanc rem Meuium *P. VIII. D. 120. n. 6.* expreſſe de caſu, ſi quis terminos commendationis exceſſerit, loquentem; motusque, vt videtur, hac ratione, quod in commendatione ſpeciali æque illi, cui aliquid commendatur, liberum maneat, vtrum commendationem ſequi velit, nec ne. Verum vti Meuii auctoritas, quantacunque etiam ſit, contra leges ſupra citatas, nihil quidquam valere poteſt; ita ex eo noſtra potius firmatur ſententia. Neque enim de negotio, à commendatione prorſus alieno, ſermo eſt laudato auctori; ſed immo expreſſe de commendatione loquitur, atque hoc ſolummodo ait, quod *qui nudæ* ſeu generalis *commendationis terminos egrediuntur*, ex commendatione ſua obligentur; atqui vero illud ipſum fit in commendatione ſpeciali. Quapropter etiam hæc, ex ſententia Meuii, erit obligatoria. Ad rationem vero dubitandi, quæ circa hanc rem moueri poſſet, reſpondeo, in mandato quoque mandatario liberum eſſe, apud ſe explorare, an ſibi expediat mandatum ſuſcipere, & nihilominus poſtea ratione

Obiectio, præcedenti aſſertioni facta, reſoluitur.

Digitized by Google

damni, ex cauſſa mandati prouenientis, dari ipſi aduerſus mandantem actionem. Præterea is, cui quis commendatur, innititur fide commendantis, qui ſiue ſponte ſua, ſiue rogatus commendet, conditionem & qualitatem commendati ſcire præſumitur. Iam vero, licet liberum cuicunque maneat, ſequi commendationem, vel minus; tamen negandum non eſt, fidem commendantis, eiusque auctoritatem, impellere aliquem ſolere, ad deſiderata in commendatione humanitatis officia exhibenda. Neque illorum ratiuncula alicuius momenti eſt, qui affirmant, nullam ex laudatione oriri obligationem, ergo nec ex ſpeciali commendatione, quippe quæ ſit laudatio. Interdum enim vel laudatio obligat, vt videre eſt *in l. 1. §. 4. D. de ſeruo corrupto.* Quæ cum ita ſint, firmiter concludo, quod commendatio, ſpecialem actum reſpiciens, commendantem obliget, cum hoc caſu in mandatum degeneret, *per cit. textus.* add. Carpz. *Dec. 126. n. 18.* Meuium *cit. loco*, Georg. Beier. *in Delineat. ad Inſt. tit. de mand. poſ. 9.*

§. XXVII.

De commendatione cum indemnitatis promiſſione facta.

Minus vero eſt dubitandum, quin obligatoria ſit commendatio, ſi clauſula indemnitatis ei fuerit adiecta, v. gr. ſi quis ita dixerit: commendo tibi Titium, petoque, vt ope conſilioque, & ſi eget, pecunia eum iuues, mea fide & periculo. In hac enim commendatione plenariam obligationem à parte commendantis ineſſe, & actionem mandati exinde locum habere, ambiguum non eſt, *per l. 12. §. 13. D. mand. l. 24. D. de fideiuſſ.* Nam ſi periculo ſuo plenam fidem adhiberi voluit commendans, de voluntate contrahendi & ſe obligandi aperte conſtat. Qua propter etiam ICC. Lipſienſes anno 1632. ita pronunciarunt: *Dieweil ihr ſelbſten berichtet, daß ihr Veit Frantzen, einen*

einen Kauffmann gebethen, N. N. eurem Freunde, ſo gedachtem Veit Frantzen unbekandt gewesen, die Waaren abfolgen zu laſſen, dabey auch ausdrücklich geſaget, daß er es auf eure Gefahr thun ſolle. So ſeyd ihr, wenn ihr auch gleich kein Kauffmann wäret, vor eurem Freund zu hafften und die Zahlung zu leiſten ſchuldig, V. R. W. Carpz. *P. 2. Conſt. 18. Def. 24.*

§. XXVIII.

In quæſtionem autem hoc loco venit, an ſi is, qui commendauit, inſuper hæc, vt fieri ſolet, adiecerit verba, *& ſi quid in amicum meum contuleris, tam mihi gratum erit, quam ſi in me contuliſſes;* an, inquam, ea ratione incipiat eſſe mandatum; ita, vt ſi quid ex hac cauſſa in commendatum collatum fuerit, commendans exinde obligetur? Hoc ſane affirmat Hugo Donellus, *Comment. de Iure Ciuili Lib. XIII. c. 10. n. 40.* propterea, quod aperte hoc actum ſit, ſuperioribus verbis. Nam (ita rationem ducit iſte) ſi in ipſum commendantem contuliſſes aliquid, nemo dubitat, quin idem obligaretur. Nunc autem voluit ille, quod in amicum contuleris perinde fore, quaſi in ipſum contuliſſes; quapropter ipſe etiam commendans valide erit obligatus. Verum meminiſſe debuiſſet facundiſſimus Iureconſultus dicti Vlpianei *in lege 19. §. 1. de ædil. edicto: ea ſcilicet ſolum promiſſa admittenda eſſe, quæcunque ſic dicantur, vt præſtenter, non vt iactentur.* add. *legem 17. D. de Iure codicillorum.* Accedit quoque vulgatum in ſcholis ICtorum dicterium, *verba, honoris cauſſa prolata, non inducere obligationem, nec ob id venire in contentionem.* Hinc etiam ingenioſiſſimus Donelli Enucleator in notis ad cit. locum ſcribit: *At ego putarem, nullam ex huiusmodi verbis, niſi naturalem obligationem, oriri, vt beneficii debitor fiat, cuius commendatio pondus habuit.*

Singularis Donelli ſententia proponitur, & examinatur.

Adde B. Hertium *de Paroemiis iuris, L. I. Par. X. Ehren-Worte binden nicht.* Confer tamen etiam B. Strykium *in Diſſ. de ciuilitate nociua.*

§. XXIX.

De commendante ac promittente, facturum quid commendatum eſſe.

Noua ſpecies obligatoriæ commendationis eſt, ſi quis promiſerit, ſe curaturum aut effecturum eſſe, vt commendatus aliquid det, vel faciat. Ita litterarum memini, quibus aliquis ſcripſit: *Titium recommendire aufs beſte, und wo man ihn zu einer oder andern Sache zu gebrauchen willens wäre, oder ihme bedürffenden Falls Geld vorſtrecken ſolte, ſo will darob ſeyn, daß er in allen gebührliche Satisfaction gebe, und die Zahlung richtig wieder erfolge.* Quamuis vero factum alienum ſimpliciter promittens, iure Romano nec ad id teneatur, vt curet, alterum præſtare, *§. 3. Inſt. de inutil. ſtip. l. 38. & 83. pr. D. de V. O. l. 65. D. de fideiuſſ.* quandoquidem ille nec voluit ſe obligare, nec verbis id cauit: tamen ſi quis in commendatione promiſerit, ſe curaturum, vt ſoluat alter, vel faciat, is non ſolum ad omnem diligentiam in procurando obligatur, ſed etiam ipſe tenetur in id, quod eius, cui commendatio facta, intereſt, *§. 3. in fin. Inſt. de inut. ſtip. l. 19. pr. D. de ædil. ed.* vid. Carpz. *p. 2. Dec. 126. n. 21.* ibi: *Dieweil ihr aber euch zugleich dahin verpflichtet, daß ihr darob ſeyn wollet, damit die Zahlung gebührend erfolge, wodurch ihr nicht wenig den Creditorn zum Darlehn bewogen, und die Zahlung zu wege zu bringen euch verpflichtet, ſolche Worte auch ohne das nicht ohne Effect ſeyn können, ſo ſeyd ihr dieſem nach, aufm Fall eure Unterthanen nicht zahlen, vor euch ſelbſten den Creditorn zu befriedigen ſchuldig. V. R. W.* Adde Hertium *in Diſſ. de obligatione alterum daturum facturumque eſſe*: quæ habetur *Opuſc. Vol.*

Vol. I. Tom. III. p. 366. vbi *§. 8.* cum H. Grotio *Lib. II. de I. B. & P, c. 11. §. 30.* docet, factum tertii, liberaliter promiſſum, ſatis impleri, ſi nihil omittatur ex parte promiſſoris, quin præſtaretur; at in onerofis obligari promiſſorem, ad id quod tantundem valet. Et hæc ſententia vera eſt; nimirum liberalitates ſtrictius interpretamur, nec temere pro illis coniecturam capimur. Mihi interim ſufficit, vtroque caſu obligatoriam eſſe eiuscemodi commendationem. Conſule etiam *D. Franc. Ignat. Seuerum*, C. B. *in Cent. IV. Promt. Select. Caſ. Iuridico-pract. Sect. IV. caſ. L.*

§. XXX.

Plane autem ſingulare eſt, quod inter mercatores quælibet commendatio, rerum aut perſonarum, obligationem & mandati actionem producat, ſiquidem læſus alias facturus vel contracturus non fuiſſet. Ioh. Köppen. *dec. 36. num. 6. 10.* Quod idcirco introductum eſſe cum Carpzouio. *p. 2. C. 18. d. 24. n. 7. 8. 9.* puto, quia inter mercatores, quorum maxime intereſt omnia ſecundum dicta adcuratiſſime fieri, commendans & perſuaſor fideiubere ſemper præſumitur; quodque exuberantiſſima in illis fides requiritur quandoquidem iuris apices ſpectare non ſolent, ſed omnia ex bono & æquo, vel potius de plano & ſimplici, iudicant. Finckelth. *Obſ. 16. num. 8.* Ceterum ſi cum non-mercatore res ſit, eo caſu quilibet venditor merces ſuas generaliter, ſine obligationis metu, laudat atque commendat; quod propterea ipſi permiſſum eſt, vt eo facilius emtores inueniat, *l. 19. pr. D. de ædil. ed.* Cuiacius *ad l. 43. de contr. emt.* & Hillig. *in Donell. Enucl. lib. 13. c. 3. lit. B.* Brunnem. *ad l. 7. C. mand. n. 2.* Iunge etiam, ſi lubet, quæ ſupra §. *19. h. e.* de hac re dicta ſunt.

Inter mercatores quælibet commendatio obligat.

§. XXXI.

Digitized by Google

§. XXXI.

Affirmans tutorem idoneum eſſe, inde obligatur,

Superioribus obligatoriæ commendationis exemplis accedit, quod cum quis affirmauerit tutores eſſe idoneos, hac ſola ex cauſſa obligetur, atque talis modi affirmatio pro fideiuſſione accipienda ſit, per textum expreſſum in *lege 4. §. vlt. D. de fideiuſſ. tutor.* Quod introductum eſt partim ob fauorem pupilli, vt habeat, quem loco idonei tutoris, ad conſequendam indemnitatem, conuenire poſſit; partim gratia magiſtratus, ne ſcilicet ſubſidiaria actione tam facile adſtringatur. Vid. Meuius *ad Ius Lub. P. 3. T. 10.* Brunnemann. *ad cit. l. 4. in f. D. de fideiuſſ. tut.*

§. XXXII.

Commendatio alicuius ad officium publ. obligationem parit.

Immo in vniuerſum verum eſt, quod commendans aliquem ad officium publicum ea ex re obligatus ſit; eſt enim talis commendatio ad ſpecialem actum directa, quæ inſtar mandati ac fideiuſſionis habetur, & obligationem producit, vid. Hoppii *Comment. ad Inſt. de mand. § 6.* Accedit & ſingularis ratio, quare is, qui ad munus publicum quemquam commendauit, obligationem incurrat, nimirum quia publice intereſt, ne ad officia vacantia homines producantur inidonei ac inhabiles; & vt tali modo ab incautis abſtineatur commendationibus, quibus magnum ſæpe damnum reipublicæ infertur. vide *l. 1. C. de Decur. L. X. T. 31. L. 1. & 2. C. de periculo nominatorum, & l. vlt. in fin. C. quo quisque ordine conueniatur. L. XI. T. 33. & 35.* Similis autem eiuscemodi commendatoribus habetur, qui ſubſtitutum in officio commendat; pro quo etiam fideiubere cenſetur, *lege 1. in fin. C. de prepoſ. agent. in reb. L. XII. Cod. Tit. 21.* Hering. *de fideiuſſ. c. 18. n. 36.* adde Perezium *in Præl. ad Cod. citatis locis*, & Brunnem. *ad l. 1.*

num.

Digitized by Google

num. 2. 3. D. de LL. vbi *ex cap. innotuit 20. X. de electione & electi pot.* de iniuſta, ad beneficium eccleſiaſticum facta commendatione, proponit caſum.

§. XXXIII.

Quæ hactenus dicta ſunt in primis locum habent, ſi quis ſponte ſua conſulat atque commendet. Ceterum qui interrogatus ab aliquo, de conditione alterius, reſpondet ſaltem de ſua ſcientia, non commendans fidem aut dexteritatem alicuius interroganti, ex reſponſione non fraudulenta obligari non debet: modo tamen caueat, ne vel falſo, vel temere ſaltem aliquid aſſeueret: ex eo namque merito tenebitur. Quo circa tutius quis ab huiuſmodi etiam collaudatione abſtinet, præſertim inter mercatores, qui facilius ex qualicunque perſuaſione obligantur, ſicut ſuperius monſtratum eſt. Vid. Carpz. *in Iurisp. for. P. II. C. 18. d. 24. n. 8.*

Qui interrogatus, pro conſcientia quemquam commendat, non tenetur.

§ XXXIV.

Ceterum quemadmodum tum in diſciplina moralis philoſophiæ docetur, tum à iuris noſtri conditoribus traditur, errorem ac ignorantiam vincibilem, hoc eſt, quam quis adhibita diligentia exuere potuiſſet, ignoranti ipſi imputari debere; damnumque quod quis ſua culpa ſentiat, ſentire eum minime videri: Ita haud immerito quæritur, an non ſuperioribus de obligatoria commendatione aſſertionibus obſtet, quod quis perquirendo penitius perſonarum ac rerum qualitates, facile reſciſcere potuiſſet, aliter, atque commendatum eſt, negotium eſſe comparatum; quodque paria in effectu ſint, ſcire ac ſcire poſſe, vel debere? Verum hæc minime euertunt ſuperius dicta. Vt enim prætercam, illud *poſſibile* in moralibus

Dubio, quod ſuperiores aſſertiones premere poſſet, occurritur.

non κατ' ἀκρίβειαν, ſed cum aliquo velut temperamento eſſe accipiendum; ſolummodo hoc moneo, quod doloſa, ſpecialis, & quælibet alia commendatio obligatoria, tam inueſtigationis omiſſæ, quam veræ ſcientiæ non habitæ, & fidei commendanti datæ, cauſſa & obex fuerit; & quod commendans ex ſuis verbis obligetur; non autem ex aliena credulitate, niſi ſe deceptionis reum facere velit, leuamen habere queat. Hinc etiam propoſitas exceptiones in tali caſu reiectas fuiſſe, ſe meminiſſe ſcribit, aliquoties nobis laudatus Meuius *ad Ius Lub. P. III. T. 10. n. 36.*

§. XXXV.

Fæminæ ex commendatione non obligantur.

Expoſita hactenus per aliquot exempla, quæ ex commendatione oritur, obligatione, reliquum eſt, vt diſquiram, an omnes perſonæ commendantes hanc obligationem incurrant? Facile autem apparet, quod qui ſe non poſſunt obligare, nec ex commendatione teneantur, vt pupilli, *l. 9. D. de Auct. Tut.* minores, *arg. l. 3. C. de in integ. reſt.* prodigi, *arg. l. 6. D. de V. O. & l. 25. D. de fideiuſſ. & mand.* &c. Minus vero abs re fuerit heic quærere, an etiam fæminæ ex commendatione obligatæ ſint? Nihil enim frequentius hodie eſſe ſolet, quam vt interceſſiones à fæminis, præſertim gynæcei aulici, petantur; teſtanteque experientia illæ haud raro efficaciores ſunt, quam optimorum conſilia virorum. Non autem animus eſt diſputare quam pernicioſus, in conferendis potiſſimum officiis publicis, ſit ille mos, quum fæminæ plerumque affectibus ſuis hac parte aliquid dare ſoleant, minusque adeo vel obeundi muneris rationes, vel perſonæ qualitates, penſi habeant; hoc ſaltem moneo, ab obligatione commendationis regulariter immunes eſſe fæminas, idque propter auctoritatem SCti Velleiani, quo ſequiori ſexui,

pro

Digitized by Google

pro aliis intercedenti, auxilium præſtatur, ne exinde efficaciter conueniri poſſit, vid. *tot, tit. D. & C. ad SCtum Vellei.* Dixi regulariter, fæminam enim mercatricem SCto Vellejano non gaudere, in praxi extra controuerſiam poſitum eſt. vid. Mynſinger *Cent. 1. Obſ. 29,* add. Fritſch. *in cit. diſſ. de litt. commend. M. 3. §. 3. n. 13.*

§. XXXVI.

Denique notandum eſt, conuentum ex commendatione ſua habere beneficium excuſſionis, ſiue ordinis, vt cum effectu conueniri non poſſit, niſi excuſſo prius commendato, tanquam debitore principali. Dum enim hoc iuris beneficium mandatoribus & fideiuſſoribus competit, per *Nou. 4. c. 1. & Auth. Præſente C. de fideiuſſ.* meritiſſime etiam, qui commendationem ſuam pro aliquo interpoſuerunt, eodem gaudebunt; quoniam iſta mandati inſtar eſt, eiusque vim & poteſtatem habet. Conueniendus itaque prius eſt commendatus, vt præſtet data commendatario damna; maxime ſi indignum ſe commendari, contra conſcientiam, paſſus ſit. Vbi autem hic vel plane non, vel difficulter ſaltem conueniri poteſt; aut tantum æris proprii non habet, vnde fieri ſolutio queat; tum vero omnis rei culpa in commendatorem transfertur, eandemque is ſuſtinere tenetur. Obiter tamen & hoc adiiciendum eſt, quod, quemadmodum merito priuatur excuſſionis beneficio, qui doloſa commendatione contra iura peccauit; ita etiam ex communi Doctorum ſententia, fori vſu adprobata, inter mercatores, vtpote non ex ſubtili iuris ratione, ſed ex bono & æquo omnia ſua negotia tractantes, locum illud non habeat. vide Lauterbachium *in Diſſert. de beneficio excuſſionis § 52. & 53.* eundemque *in Comment. de iure in curia mercatorum vſitato, §. 124.*

Commendator gaudet beneficio excuſſionis.

Digitized by Google

§. XXXVII.

De obligatione commendatarii.

Hæc hactenus de obligatione commendatoris diſputata ſunt. Minime vero eſt dubitandum, quin multis caſibus ille quoque, ad quem dirigitur commendatio, ſequi eam ex neceſſitate iuris teneatur. Et de interna quidem obligatione res per ſe manifeſta eſt: eo ſcilicet caſu, quo quis vera humanitatis officia commendatæ ab alio perſonæ exhibere valet. Iſta quippe iure diuino, naturali pariter ac reuelato, mandata nobis eſſe intelliguntur. Quin & contingere poteſt, vt commendatarii vtilitatem ſimul reſpexerit alter. Obligationis autem intrinſecæ radix veluti ac fundamentum eſt id, quod naturæ noſtræ vere bonum. Huic igitur congruenter conuenienterque decet viuere. Oportet nos amplecti & facere ea, quæ noſtram vtilitatem vere promouent; vitanda e diuerſo, caneque & angue peius fugienda ſunt, quæ noxia eſſe naturæ noſtræ deprehenduntur. vid. Cicero, *Lib. 3. de fin. c. 7.* add. quoque illuſtr. Thomaſius *in fundamentis iuris nat. & gent. L. I. c. IV.*

§. XXXVIII.

Illa vno alteroque exemplo declaratur.

Quod ad illam vero attinet obligationem, quæ in externo etiam foro ſuos habet effectus, variis illa declarari poſſet exemplis: breuitatis autem ſtudio vnum ſaltem alterumque proponam.

Sic poſtquam fidecommiſſis perfecti iuris auctoritatem accommodauit diuus Auguſtus primus, expedita, ſi quid cernimus, res eſt, commendationem quoque fideicommiſſariam, quocunque demum modo factam, validam producere obligationem & actionem. Iunge §. 1. *Inſt. de fideicommiſſ. heredit.*

Ex

Digitized by Google

Ex diſciplina vero iuris feudalis huc referri poteſt, quod commendatus a domino, qui feudum primus conceſſit, ad ſubfeudum, aliis omnibus debeat anteponi. vide Andr. Kohlium *de Subfeudis, cap. 1. 2. & 3.*

Petenti ex iure publico exemplum, illuſtrationis loco eſſe poſſunt, *primariæ*, vt vocantur, Cæſareæ Maieſtatis *preces*: quarum auctoritatem, veteremque ac rectum vſum aduerſus inſolentia Romanæ ſedis, eiusque paraſitorum, poſtulata, egregiis ſcriptis nuper aſſeruerunt celeberrimi viri, D. Griebnerus & D. Cortreius, nec non illuſtriſſ. Dn. & L. B. de Lyncker, *in Vindiciis primariarum precum, Cæſareæ Maieſtati ſuo, vno, & proprio iure competentium.*

In canonico ſeu eccleſiaſtico iure exemplum nobis præbet Ius patronatus; cuius ad naturam pertinet nominatio *das Vorſchlagungs-Recht*, ſiue oblatio & commendatio certæ perſonæ ad miniſterium eccleſiaſticum; quam citra graues ac iuſtas cauſſas recuſare non licet. Confer omnino *art. VII. Inſtrum. Pac. Weſtph. §. 1.* vbi etiam ſubditis, euangelica ſacra profeſſis, quorum princeps, vel eccleſiæ patronus, ad alterius partis religionem tranſiit, hoc commendationis ius tribuitur, verba ſanctionis, digna quippe exſcriptione, ita habent: *Liceat hoc mutationis caſu ipſis communitatibus præſentare, vel, quæ præſentandi ius non habent, nominare idoneos ſcholarum & eccleſiarum miniſtros, a publico loci conſiſtorio ſeu miniſterio, ſi eiusdem cum præſentantibus vel nominantibus communitatibus ſunt religionis; vel hoc deficiente, eo loco, quem ipſæ communitates elegerint, examinandos & ordinandos, atque a principe vel domino poſtea ſine recuſatione confirmandos.* Conſule cordatiſſimi in tabulas Weſtphalicas Commentatoris, Dn. ab

Digitized by Google

Henninges, *Meditationes ad cit. locum.* Finckelth. *de iure Patronatus cap. 6.* Schilter. *in Inſt. Iur. Can. L. 1. T. 14.*

Ad extremum etiam huc referri meretur, quod vbi princeps perſonam aliquam, in conſulem, v. g. eligendam, commendauit ſenatui, hic contrariis ſuffragiis aliam eligere non poſſit. Ratio eſt, quod territorii dominus, a quo ſenatus conceſſionem habet electionis pro collegio, abdicaſſe a ſe ſupremam diſpoſitionem, in cauſſis ſalutem vniuerſitatis ſpectantibus, cenſeri non debeat. vide *Reſponſorum Lynckerianorum volumen alterum, Reſp. 157. n. 16.* ibi: *Inmaſſen denenſelben nicht unbekandt ſeyn ſollen, daß eine Landes-Fürſtliche Obrigkeit, als welche einem Rath die Wahl durch ſonderliche Begnadigung überlaſſen, der macht aus gerechten Urſachen bey derſelben Verordnung zu treffen, ſich keines weges begeben habe.* Sed hæc quidem de commendatione ex parte commendatarii pariter atque commendatoris obligatoria, proponere libuit.

CAPVT III.

DE SPECIEBVS COMMENDATIONI COGNATIS.

§. I.

Mandatum & Commendatio vt differant.

ABſoluta tractatione de obligatione, quæ ex commendatione oritur, adhuc paucis indagandum reſtat, quibus cum aliis iuris figuris illa conueniat, & à quibus diſcriminetur. Differt autem primo *à mandato*, quoniam hoc nihil aliud eſt, quam contractus, quo negotium gratis geren-

gerendum alteri committitur; commendare vero ſignificat tantum laudare perſonam quandam, vel rem, & gratiorem reddere. Igitur qui mandat, is mandati periculum in ſe ſuſcipit, vel tacite vel aperte, *l. 20. D. mandati*, niſi ex iuſta cauſſa aliud placeat; vt in *lege 36. §. 2. & l. 39. eod. tit.* qui commendat, ſolum præbet teſtimonium de moribus ac conditione clientis; periculum autem commendationis ſuæ neque tacite in ſe ſuſcipit, neque expreſſe, ideoque *regulariter* non obligatur: quanquam, vt ſupra dixi, pudorem ſuum onerat temeraria laudatione. vid. Gerhard Noodt *Probabil. l. Civ. L. 4. c. 12. §. 2.* Præterea in mandato communiter mandatoris intereſſe debet, quod vel ex actione mandati probatur: etenim explorati iuris eſt, nemini actionem competere, niſi ei, cuius interſit, *§. 18. Inſt. de inutil. ſtip. l. 32. D. locati.* & nominatim in cauſſa mandati cautum eſt, *lege 8. §. 6. D. mand.* vbi Vlpianus ſic ſcribit: *Mandati actio tunc competit, cum cœpit intereſſe eius, qui mandauit, ceterum ſi nihil intereſt ceſſat mandati actio, & eatenus competit, quatenus intereſt:* quæ lex etiam in contraria mandati actione eſt obſeruanda. Verum vti in commendatione plerumque commendatoris nihil, principaliter autem ſolius commendati, intereſſe ſolet; ita *regulariter* neque illi, neque commendatario, actio datur. Dixi *regulariter*, quæ enim in contrarium proferri poſſunt exempla, ad exceptiones pertinet, de quibus heic non loquimur; maxime quod hæ firmant potius noſtras regulas in caſibus non exceptis. Ceterum conuenit etiam mandatum cum commendatione *ſpeciali*, quod utraque ſpecies validam & efficacem actionem producit. Confer *§. 6. in fin. Inſt. de mandato.*

§. II.

§. II.

Vicinum commendationi eſt conſilium.

Magnam quoque cum commendato vicinitatem habet conſilium: eſtque hoc, perinde ac illud, vel *generale*, vel *ſpeciale*. Generale conſilium eſt, quo quis tantum, quid ſibi in re dubia faciendum videatur, generaliter oſtendit & ſuggerit; ſine tamen animo, alterum ad illud faciendum, & ſe ad indemnitatem præſtandam, obligandi. vid. *Lauterb. comp. Iur. tit. mand. eiusque diſſ. de Conſilio.* Atque hoc iterum vel bona, vel mala fide factum. Si mala fides interuenerit, obligatio manifeſta eſt. Ex conſilio enim non fraudulento non naſcitur obligatio *l. 47. D. de R. I.* cui conſequens eſt, fraudulentum eſſe obligatorium *l. 16. pr. D. de pœnis. l. 11. §. 6. D. de iniur. c. 62. de R. I. in 6.* Fraudulentia autem non ex ſolo euentu, ſed ex voluntate diiudicanda eſt, per *l. 79. D. de R. I.* Hinc alleganti eam incumbit probatio; quia in dubio quodlibet conſilium bonum potius, quam fraudulentum, fuiſſe præſumitur. *Menoch. l. 5. præſ. 2. n. 11.* Speciale conſilium eſt, ſi quis alicui verbis ſpecialibus & definitis aliquid ſuadeat, illisque in certam cauſſam directis, obtineat, quod alias non fuiſſet euenturum. Tale conſilium, æque ac ſpecialis commendatio, inſtar mandati eſt, eiusque actionem producit. vid. *§. 6. I de mand.* & *l. 6. §. 5. D. eod.* Quemadmodum obligatorium etiam hoc eſt, quod cum cautione ac indemnitatis præſtatione coniunctum fuit; vt &, ſuppeditatum ab eo, qui artem profitetur, & ex imperitia male conſuluit: imperitia enim culpæ annumeratur; culpa autem imputationem operatur; imputatio producit obligationem, & hæc actionem. Quapropter conſilium dans aduocatus de imperitia tenetur, itemque aſſeſſor de ſiniſtro conſilio, quod ratione officii expoſuit, obligatur *l. 2. D. quod quisque iuris in alterum ſtat. l. 8. D. ad leg. Aquil.*

§. III.

§. III.

Præterea cum commendatione magnam affinitatem habet *ſuffragium*, quando nimirum aliquid datur, vt negotium quoddam, vel ipſa alicuius perſona, apud principem commendetur. Vbi notandum, quod olim apud Romanos pariter ac Germanos omnia pene negotia liberis votis tranſacta fuerint: poſtea vero poteſtate ad vnum reuocata caput, & comitiis in curiam e campo translatis, & cum ex arbitrio principum omnia deſideria ſubiectorum, vectigalium & fœderatorum populorum pendere cœperunt, precibus, interceſſionibus, & commendationibus, principis gratia eblandienda fuit; & hinc ſuffragia pro commendationibus ſæpius vſurpata reperiuntur. Confer Io. Ott. Tabor *de ſuffragio, peric. 2. §. 6.* Inuenitur & in iure canonico locus, vbi ſuffragium pro commendatione ſumitur, nimirum *c. 6. in f. X. de celebr. miſſæ*, quo loco per ſuffragium viuorum nihil aliud, niſi preces, interceſſiones, atque commendationes intelliguntur. Ceterum originem memoratæ vocis, eiusque varias ſignificationes, ſiquidem etiam pro voto & ſcito, pro ſubſidio, pro præmio præſtitæ commendationis &c. accipitur, uberius declarat laudatus auctor *de ſuffragio*. *Suffragii & commendationis conuenientia.*

§. IV.

Mihi porro hoc admonendum eſt, quod fideicommiſſa quoque quandam cum commendationibus vicinitatem habere videantur. Sane enim commendat alicui perſonam aliquam vel rem, qui fidei ipſius eandem committit. Verum tamen, vt alia nunc mittam, ex commendationis vocabulo, teſtamento vel codicillis vſurpato, fideicommiſſum proprie ſic dictum non induci, luculenter docent iuris noſtri conditores. *Fideicommiſſa quoque commendationis ſpeciem habent.*

Sic Vlpianus *in lege 11. §. 2. D. de Leg. III. Si ita*, inquit, *quis ſcripſerit*, illum tibi commendo: *Diuus pius reſcripſit, fideicommiſſum non deberi. Aliud eſt enim, perſonam commendare; aliud voluntatem ſuam fideicommittentis heredibus inſinuare.* Et Imperatores *in lege 12. C. de fideicommiſſ. libert.: ex verbo*, commendo, *teſtamento vel codicillis non videri fideicommiſſariam libertatem relictam eſſe, auctoritate iuris declaratur.*

§. V.

De contractu commendæ.

Eſt etiam frequens vel locationis, vel ſocietatis, genus, quod *commendæ* contractum vocare ſolent: nimirum cum quis animalia ſua nutrienda alteri curandaque tradit, æſtimata quidem, ſed eum tantum in finem, vt ſi forte conductoris vel paſtoris culpa, non etiam fato ſuo aut caſu, pereant vel deteriora fiant, ſciatur quid ille reddere debeat; nec eo minus fœtus, qui pendente conductionis tempore prouenerit, inter locatorem & conductorem diuidatur, ac ſi communis inter eos eſſet proprietas; reliquus fructus ad ſolum conductorem ſpectet. De antiquitate huius contractus ex *lege, ſi paſcenda 8. Cod. de pactis*, conſtat. Iura autem eius eleganter exponit Ant. Faber *in Codice Sabaud. Definit. Lib. 4. Tit. de locat. D. 5. & 6.* Ceterum quo nomine *contractus ille commendæ* a commendatione noſtra differat, palam eſt. Vicinior idem eſt contractui *Socida*, quem vulgo vocant; periculi tamen nomine, ſi rem accurate æſtimes, atque uſurariæ prauitatis labe, ab eodem diſcriminatus. *vid.* Rauchbar. *P. 2. Q. 29.* Tabor *de Contractu Socida.*

§. VI.

Occurrunt vero etiam in feudalis iuris diſciplina, quæ cum commendatione noſtra quodammodo conuenire viden- tur. Nimirum hoc more quondam vtebantur vaſalli, vt longinquam expeditionem vel peregrinationem ſuſcepturi, aut quolibet alio impedimento à perſonali ſeruitiorum præſtatione detenti, beneficium ſeu feudum ſuum *commendarent* aliis, qui ipſorum nomine & militiam & alia feudalia ſeruitia domino exhiberent, ne in commiſſum, eorum defectu, feudum caderet. Bifariam vero *commendabatur* feudum à vaſallo, interdum quidem domino ipſi; plerumque autem extraneo. In prioris generis commendatione duo inerant ſingularia; *primum*, quod non poterat vaſallus feudum ſuum domino commendare, cum ab eo ad aliquod ſeruitium præſtandum ſpeciatim eſſet ſubmonitus, quia commendatio iſta dolo facta præſumebatur; *alterum*, quod vaſallus commendatum domino feudum ab eo repetere non poterat, niſi poſt annum exactum; vt ſcilicet nullum eiusmodi commendatio domino adferret damnum, atque vt, dum feudi reditibus fruitur, ſuis ſumtibus, ſi aliqua neceſſitas vrgeret, quempiam, ſeruitia præſtare idoneum, feudo præficeret. Vnde ſi dominum intra anni decurſum contingeret decedere, licebat heredi reliquo anni tempore feudum commendatum retinere; & contra ſi vaſallus intra annum fato fungeretur, ſucceſſor eius feudum, niſi exacto anno, repetere non poterat. Denique licet ad plures annos feudum poſſet commendari, ea tamen commendatio vaſalli vitam non excedebat. Quoniam reſoluto iure commendantis, reſoluebantur etiam iura commendatarii, quae ex feudo is interim percipiebat. *Vide pluribus* Carol.

De feudis commendatis.

Du-

Dufreſnium *in gloſſ.* voce *Commendare*, vbi hactenus dicta antiquorum ſcriptorum teſtimoniis egregie firmat, quæ tamen hic adnectere nihil iuuerit.

§. VII.

De commendis eccleſiaſticis.

Ceterum quemadmodum primæua feudorum inſtituta eiusdem cum functionibus publicis fuerunt generis, præſertimque eccleſiaſtica beneficia nunc etiam maximam cum illis habent affinitatem, prout ex inſtituto docuit D. Præſes *in Tractatu, de Paribus Reipublicæ Miniſtri & Vaſalli Iuribus, ſpeciatimque cap. III. §. 23.* ita quæ præcedenti commate, de feudis commendatis dicta ſunt, ea quoque de beneficiis eccleſiaſticis atque monaſticis, fiduciario iure aliis concedi ſolitis, ſunt accipienda. Dicuntur illa communiter *commendæ*, idemque beneficia commendata; atque non in nomine minus, quam in re ipſa quidquam cum noſtræ commendationis tractatione commune habent.

§. VIII.

De commendarum origine vſu, atque abuſu.

Nimirum haud raro vſu venire videmus, vt, officio aliquo eccleſiaſtico vacante, procuratio eius a conſiſtorio per ſuperintendentes commendari ſoleat vicinis aliquot paſtoribus, vel in oppidis diaconis, ne interim res eccleſiaſtica quidquam detrimenti capiat; vide Carpz. *Iuriſpr. Eccl. L. 1. D. 102.* Atque hic laudabilis mos iam olim in eccleſia fuit obſeruatus. Si quando enim non poterat commode ſtatim alicui eccleſiæ vacanti cathedrali, vel parochiali, vel etiam monaſticæ, prælatus præfici, puta quod non illico perſonæ idoneæ copia eſſet, vel deliberatione res indigeret, aut ſimilis cauſſa intercederet; tunc ad declinanda incommoda, quæ

ex defectu prælati & gubernatoris ſui eccleſia ſolet pati, hæc alicui ex clero, pietate & probitate conſpicuo, tantiſper *commendabatur* & committebatur, qui præter eccleſiam propriam vacantem etiam, veluti tutor quidam & procurator, adminiſtraret, quoad remotis obſtaculis paſtor proprius canonicum in morem eligi poſſet. Hic itaque commendatum tenebat beneficium: nullam vero in eccleſiæ facultates poteſtatem exercebat, niſi vt rite eas conſeruaret. Verum vt optima quæque inſtituta corrumpi maxime ſunt idonea, ita etiam commendæ hæ in perniciem peſtemque eccleſiarum mirabiliter cœperunt conuerti. In paleas abire canon, ne commendatarius vllum ex commenda fructum caperet: præſules nulla vrgente neceſſitate paſtoribus commendare eccleſias: ipſi autem Pontifices non modo vltra ſex menſes, quod iure prohibitum eſt in *can. 16. de elect. in ſexto*, ſed ad longius quoque, quin ad omne vitæ tempus, eccleſias commendare: denique palam ludibrio haberi veteres canones, atque ad vetitam beneficiorum pluralitatem palliandam adhiberi commendarum inſtitutum, beneficiatoque alиud beneficium, aut plura etiam per omnem vitæ decurſum committi; ſeruatis ſcilicet verbis legis, de non conferendo niſi vnico vni perſonæ beneficio, ſed mente neglecta, quandoquidem commendatarius ad vitam, re & effectu non differebat ab eo, qui cum titulo poſſidebat. *vide pluribus* P. Sarpii *Hiſtoriam Concil. Trident. L. II. p. 214. & L. VI. p. 453.* Fr. Duaren. *de S. Eccleſ. Miniſt. L. 5. c. 7.* Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccl. L. IX. c. 11.*

§. IX.

Atque hæc in præſenti, ſpeciminis Academici loco propoſita, ſufficiant. Si quæ minus adcurate minusque ſubtiliter dicta eſſe videbuntur, eorum excuſationem tum ab ætate me habiturum confido, tum quod in medio ſtudiorum Academicorum curſu adhuc conſtitutus ſum. Quod ſuper eſt, bonum atque beneuolum Lectorem ſaluere plurimum atque valere iubeo, eiusdemque fauori me ac ſtudia mea commendo.

SOLI DEO GLORIA!

Digitized by Google

PRÆSIDIS EPISTOLA.

PRæclaro, & ad imitationem propoſito exemplo, *in arduo iurisprudentiæ ſtudio adhuc verſatus es*, *ORNATISSIME LVBBE.* *Viam quidem, aditumque ad hoc, philoſophorum tibi muniuerunt præcepta: in quibus ea potisſimum, quæ ad intellectus expolitionem, ac voluntatis emendationem pertinent, ſingulari induſtria ſectatus es. Ipſa vero artis boni & æqui penetralia iuris naturalis doctrina, atque Romanarum notitia antiquitatum reſerarunt. Mature enim didiciſti, nihil aliud eſſe ius ciuile, niſi naturalem, ad Romanæ reipublicæ inſtitutionem relatam, Romanisque moribus explicatam rationem. Hiſce ſubſidiis inſtructus in legum cauſſas, quod hominem conſultum in primis decet, curioſe inquiſiuiſti: alienus omnino ab eorum more, qui vel ad ſapientisſimam legislationem Romanam tantum non nauſeant; vel etiam iuris a natura inſiti philoſophiam alto nimis ſupercilio deſpiciunt. Minime ſcilicet te latet, tam arctam inter has duas diſciplinas intercedere neceſſitudinem, vt qui alterutram ignorat, ambas neſciat. Altera enim rectas legum prodit rationes; altera autem certum earum monſtrat vſum. Vtrique vero dum legitimum ſtatuiſti precium, id præterea ſedulo dediſti operam, vt tua olim ſtudia in ipſa quoque conferres rerum argumenta.*

Hinc

Hinc ad praxin etiam, illam rerum magiſtram, a qua vera legum interpretatio ſumitur, altero ſemper reſpexiſti oculo, ſcholisque ad eam ducentibus non modo ſolers interfuiſti auditor, ſed & propoſitorum a me exemplorum facundus imitator. Abſoluto ea ratione ciuilis iuris ſtadio, ad feudalia quoque, & canonica præcepta, pari alacritate progreſſus es; nullique peperciſti labori, vt & veteris æui ſtatum, & hodierni vſum, in vtrisque illis penitus cognoſceres. Ceterum vt publico etiam conſtaret ſpecimine, quousque ingenium in vmbra profecerit, Diſſertationem, de eo quod iuſtum eſt circa commendationem, *eruditæ commilitonum disquiſitioni ſubiiciendam duxiſti. Qua in re meum eſt gratulari, tibi quidem, de præſtantisſima eruditionis ſpecimine; mihi vero, de inſigni, quem in te lætus conſpicio, doctrinarum mearum fructu: eos porro ſtudiorum rerumque omnium ſucceſſus ex animo tibi adprecando, qui diuinæ voluntatis lege pietatem & induſtriam indubitate comitantur. Vale!*

BIBLIOTECA NAZ.

Digitized by Google